

sit, tam varium effectum producat; variaque adeo remedia & artem medendi postulet, quantum brevitas hic necessaria permittit, eum recenseri necesse est.

### ANGINA AQUOSA.

791. **A**ngina aquosa, oedematosa, catarrhoa tenuis, est impedita, vel dolens respirandi, vel deglutiendi exercitatio, cum tumore lymphatico partium, quibus illa fit, vel vicinarum.

792. Habet ergo, ut caeterae aquosae colluvies, sedem in parte glandularum, ubi reconditur atque excernitur secreta arteriis lymphs.

793. Ergo pro causa agnoscit quidquid exitum liberum lymphae impedit: eorum vero est numerus ingens, & diversitas. Compressio venarum quaecunque, in quas forte earum glandularum emissaria se evacuant: obstructio nata in ipso folliculo glandulae a gypso, pituita, lapide, fungo, & similibus ibidem enatis; obstructio facta in ipsis emissariis a causis ei dem compressio eorumdem locorum; frigus finibus excretiorum meatuum applicatum; debilior humorum circumactio.

794. Effectus talis mali sunt, tumor aquosus, albus, frigidus; vicinorum compres-

M 2 pres-

pressio; impedimentum functionum, quae  
a non compressis pendebant.

795. Hinc signa diagnostica (791. 792.  
793.), & prognostica (794.) facillime pa-  
tescunt.

796. Curatio autem hic peragetur iis,  
quae 1. causas obstruentes resolvunt, mo-  
vent, aut rodendo, vel secando tollunt.  
Huc spectant emollientia, aperientia, laxan-  
tia, forma fatus, cataplasmati, gargarisma-  
ti, injectionis, collutorii, vaporis, appli-  
cata; tum frictiones; caustica; scalpellum.  
2. quae copiam lymphae, per opposita loca  
evacuando, minuunt: quod fit apophlegma-  
tis, vesicatoriis, sudoriferis siccis exter-  
nis, internis, diureticis similibus, hydrogo-  
gis per alvum. 3. abstinentia ab liquidis, victu  
calefaciente, exsiccatante. 4. augendo vim  
circulationis per remedia nota (98. 99.).

### ANGINA SCIRRHOSA.

797. Si vero glandulas descriptas (788.)  
scirrhosus, & multum increscens  
tumor occupavit, signis scirrhi (392) co-  
gnoscitur; atque ex noto ejus situ futura  
angina praevidetur, nata vero perspicitur;  
tum si extirpatio possit fieri, ea sola reme-  
dio erit tuto, aut in internis circa fauces  
corrosio multa cum prudentia tentanda.

AN-